

Utrum poenitenti et confesso non proprio sacerdoti, habenti tamen comissionem generalem audiendi confessiones, necesse sit eadem peccata iterum confiteri proprio sacerdoti? Quod sic, quia *Extra, De poenitentia et remissioni, Omnis utriusque sexus*: „postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata proprio sacerdoti confiteatur semel in anno”; sed talis audiens ex comissione, sicut sunt praedicatores et minores ab antiquo, non est proprius sacerdos; ergo, non obstante confessione facta tali, tenetur eadem peccata numero iterum confiteri proprio sacerdoti.

Praeterea, illud quod cedit in praeiudicium alterius non potest privilegio concedi alicui, sed in praeiudicium curatorum cederet, si alius ab ipsis sine eorum licentia possit eorum subditum confessum absolvere; ergo etc. Minor probatur multipliciter. Primo sic: proprius sacerdos tenetur sibi ministrare sacramentum eucharistiae. Similiter, pro anima sua reddere rationem; sed irrationabile est subtrahere alicui cognitionem rei de qua tenetur reddere rationem; ergo debet sibi constare de salute animae suae et, per consequens, de confessione et statu animae suae. Secundo, quia prelato dicitur *Proverbiorum, 27: diligenter agnosce vultum pecoris tui*; quod non potest melius quam per confessionem; ergo etc. Tertio, quia irrationabile videtur quod unius hominis sint plures iudices immediati. Quia, si praeciperent contraria, neutri posset obedire, et foret occasio contemptus, ubi neutri obediret.

Praeterea, 11, quaestione 1, *Pervenit*: „si sua unicuique episcopo iurisdictio non servatur, quid aliud agitur nisi ut per vos, a quibus ecclesiasticus ordo debuit custodiri, confundatur? Ergo [391b] eodem modo, si non servatur parochiali presbytero iurisdictio sua integra, ut ipse solus subditos suos absolvat, videtur sibi iniuriari”.

Ad oppositum: consuetudo est optima legum interpretes, *Extra, De consuetudine, Cum dilectus*, sed per totam Ecclesiam in omni regno inolevit consuetudo quod tam clerici quam laici confitentur habentibus potestatem absolvendi ex commissione solum, nec iterum confitentur eadem peccata cuicumque alteri sacerdoti. Patet in regibus et principibus et nobilibus episcopis, rectoribus et laicis, qui quomcumque passim confitentur praedicatoribus et minoribus, praeter licentiam obtentam ab episcopis, vel sede apostolica. Ergo non oportet trahere in dubium.

In ista quaestione oritur tota difficultas pro maiori parte de illo capitulo *De poenitentia et remissioni, Omnis utriusque sexus*, quod est in primo argumento allegatum, cuius occasione hic ponam unum errorem cum eius reprobatione imperfecta. Unde sciendum est quod, anno domini 1327, magister quidam Parisiensis, dictus Ioannes de Poliaco, sacrae theologiae professor, errores tres, qui subscribuntur, et docuit et tenuit in scholis, sicut in quadam extravaganti domini *Ioannes* 22, quae sic incipit: „vas electionis etc., etiam plenius continetur”.

Primo, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, quae confessi fuerunt, iterum confiteri proprio sacerdoti.

Secundo, quod stante statuto *Omnis utriusque sexus* edito in concilio generali, Romanus pontifex non potest facere quin parochiani teneantur peccata sua confiteri proprio curato parochiae suae, immo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) hoc implicat contradictionem.

Tertio, dicit quod Papa non potest dare potentiam seu licentiam audiendi confessionem, immo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, id est parochiali curato. Hic tamen Magister, licet praedictos articulos

defendisset et publice docuisset, et sic posse defendere diceret, quando apparuit coram Papa et cardinalibus, asseruit se velle in praemissis quod sedes apostolica definiret. Unde, multis sibi disputationibus assignatis tam in consistorio, quam seorsum, illos articulos publice revocavit, dicens rationibus factis in contrarium se respondere non scire, contra quos articulos sive errores apostolicae sedis constitutio emanavit in hac forma: „nos ergo attendentes quod praedictorum articulorum assertio, praedicatio et doctrina redundare poterat in multarum perniciem animarum, ipsos per plures magistros in theologia fecimus diligenter examinari. Ideoque ne in errorem (quod absit) animae simplicium probantur, omnes [392a] praedictos articulos et quemlibet eorum tamquam falsos et erroneos et a sana doctrina devios auctoritate apostolica damnamus et reprobamus de fratrum nostrorum consilio et assensu, doctrinamque ipsius contrariam veram esse et catholicam affirmamus, asserentes quod illi, qui praedictis fratribus confitentur, non magis tenentur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias illa confessi fuissent eorum proprio sacerdoti, iuxta dictum concilium inhibentes districte ne quisquam articulos damnatos et reprobatos, vel contenta in eis, vel aliqua ipsorum tenere audeat, vel defendere”. Unde et praedictus Ioannes de Poliaco in sermone in scholis apud Parisios publice revocavit. Ex istis patet ad quaestionem. Nam in constitutione Papa determinavit quod istae tres propositiones sunt verae: primo: quod nullus confessus fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confessionem tenetur iterum peccata confiteri proprio sacerdoti, plusquam si alias fuisset sacerdoti proprio eadem peccata confessus, teneretur iterum confiteri; secundo: quod, stante constitutione *Omnis utriusque sexus* etc., Romanus pontifex potest facere quod parochianus non tenetur omnia peccata semel in anno confiteri proprio sacerdoti; tertio: quod Papa potest dare generalem licentiam audiendi confessionem et quod confessus habenti huiusmodi licentiam non tenetur eadem peccata confiteri proprio sacerdoti. Ad horum maiorem intellectum tria fient. Primo, recitabo illud statutum *Omnis utriusque sexus*. Secundo, ostendam quod nunquam intentio condentis statutum fuit quod servaretur ad litteram, sicut sonant verba de virtute vocis, ut videlicet per 'proprium sacerdotem' solus sacerdos parochialis intelligatur. Tertio, dabo intellectum huiusmodi statuti.

De primo, statutum est tale: „omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua semel in anno confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pasca eucharistie sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Et hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiae cecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti iusta de causa sua confiteri peccata voluerit, prius licentiam postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum absolvere, vel ligare non poterit”. Et illud quod postea sequitur in illo capitulo, [392b] non est ad nostrum propositum, quia nihil ponitur ibi, nisi informatio quod sacerdos sit cautus et discretus in iniungendo poenitentias, et confessionis officium exercendo.

Secundo, ostendo quod nunquam fuit intentio condentis statutum quod servaretur ad illum intellectum, quod quilibet fidelis tenetur semel in anno confiteri parochiali sacerdoti, sic quod statutum illud semper intelligat per 'proprium sacerdotem' presbyterum parochialem.

Et arguo primo sic: si ita debet intelligi, sequeretur quod confessus domino Papae, vel eius poenitentiario interum teneretur eadem peccata confiteri proprio sacerdoti parochiali, quod fatuum est et erroneum dicere. Consequentia patet, quia proprius sacerdos non est Papa, nec episcopus.

Secundo modo sic: Papa, manens Papa, non potest aliquid facere quo perdat iurisdictionem immediatam supra quemlibet catholicum, cum sit vicarius generalis Christi. Ergo non potest facere quod ipse non posset absolvere quemcumque sibi confessum, et ille legitime exequatur poenitentiam iniunctam. Poenitens etiam est simpliciter absolutus a Papa, ergo Papa non potest facere quod ipse teneatur iterum confiteri illa peccata. Consequentia patet, quia Papa non potest facere quod ipse indigeat sacramento poenitentiae. Alioquin primum sacramentum fuit insufficiens, quod nefas est dicere; ergo Papa non potest facere quod ipse teneatur iterum confiteri de peccatis sibi confessis presbytero parochiali, immo nec Deus posset facere quod hic iterum teneatur confiteri de eisdem peccatis pro quibus sufficienter et legitime per sacramentum poenitentiae satisfecit, quia per totum satisfecit. Et sequitur: tenetur confiteri; ergo non satisfecit; quod est impossibile.

Tertio sic: in eadem constitutione dicitur quod, si subditus velit iusta de causa confiteri alieno sacerdoti, debet petere et obtinere licentiam a proprio sacerdote, quia aliter non potest illum absolvere vel ligare. Quaero utrum 'proprium sacerdotem' vocat hic Papa parochialem sacerdotem praecise, an non. Si non, habeo propositum, quod conditor canonis non intendit per 'proprium sacerdotem' praecise parochialem sacerdotem. Si sic, ergo solus sacerdos parochialis posset alicui potestatem committere absolvendi; ergo Papa non posset alicui committere sine licentia praesbyteri parochialis; quod videtur absurdum.

Quarto: in propositione istius statuti quando sic dicitur: 'omnis utriusque sexus', aut fit distributio tantum pro homine, qui est utriusque sexus, sicut sunt hermaphroditi, quod frivolum est dicere, vel pro quolibet homine et qualibet muliere. Primo modo non intellexit conditor canonis, manifestum est. Si secundo modo, simul cum hoc intelligit statutum quod quae[393a]libet persona de specie humana debet confiteri praesbyteris parochialibus. Et ideo oportet Papam, episcopos, et eorum legatos confiteri parochiali episcopo. Consequens est absurdum; ergo statutum non potest intelligi ad virtutem verborum, sicut satis docet experientia. Et confirmatur, quia nec ille qui condidit hoc statutum tenet illud in seipso, nec in aliis post eum.

Quinto, quia tota consuetudo Ecclesiae est in contrarium, quia episcopi constituunt suos poenitentarios, qui possunt absolvere omnes de diocesi sua, et subtrahunt a curatis propter causas certas et causas episcopales et propter gravia peccata, ut non assuescant in eis. Similiter Papa instituit poenitentiarium suum generalem, qui absolvit potestate Papae quos ipsi non possunt absolvere, et multos alios poenitentarios, ut patet. Et fatuum est dicere quod ille qui venit absolutus ab omnibus peccatis suis de curia in vigilia Pascae, nec alicuius peccati est conscius post poenitentiam, quia forte simul in eadem Ecclesia est parochialis sacerdos et legatus Papae, debeat ire ad praesbyterum parochialem antequam communicet.

Sexto, aut Papa potest committere alteri a curato, ipso curato manente, tantum quantum commisit in absolutionibus, vel non. Si sic, ergo iste habens licentiam ex commissione potest quantum curatus; ergo, si absolvit subditum curati ita perfecte est absolutus, sicut si parochialis

sacerdos eum absolvisset. Sed manifestum est, si prius fuisset absolutus, quod non teneretur sibi iterum confiteri; ergo nec modo. Si non, potest sibi committere Papa tantum quantum commisit praesbytero parochiali, ipso manente curato.

Contra: Papa committit plus aliis quam sibi etiam super subditos suos, ut patet de episcopo et poenitentiariis suis, quorum quilibet potest quantum parochialis, et plus. Sed constat quod Papa potest facere poenitentarios suos quos sibi placet; ergo quibuscumque habentibus ordinem sacerdotalem potest committere plus quam habet sacerdos parochialis, vel tantum, vel minus, sicut sibi placet. Idem esset de episcopo quocumque, qui quemlibet sacerdotem potest facere poenitentiarium suum, et supra curatum, et equalem curato.

Tertio, dandus est intellectus de decreto praedicto *Omnis utriusque sexus*, ubi sciendum quod intentio conditoris canonis istius est inducere homines ad munde et integre semel in anno confitendum, et communicandum die Pascae. Vocat autem in illo statuto 'sacerdotem proprium' non praecise praesbyterum parochialem, ut ostensum est supra. Unde apud intelligentes distinguere solet de proprio sacerdote, quod iste terminus 'proprius sacerdos' potest dividi [393b] ex opposito contra alienum, vel contra communem.

Primo modo, Papa est proprius sacerdos cuiuslibet catholici, et episcopus cuiuslibet catholici existentis in eius episcopatu. Secundo modo non, quia sic non est proprius uni, quin sit communis alteri, sed sacerdos parochialis unius parochiae est sicut proprius sacerdos illorum qui sunt de parochia sua, quia omnino est alienus illis qui sunt in parochia alterius. Illi vero qui habent commissionem a Papa immediate, vel ab episcopis localibus, sicut modo est de fratribus praedicatoribus et minoribus, sunt proprii sacerdotes primo modo, quia non alieni, sed communes. Et de proprio sacerdote ad istum intellectum loquitur decretum, alioquin foret contraria iurisdictioni, et praeiudicialis domino Papae et toti Ecclesiae. Et haec est intentio Papae Iohannis XXII in constitutione superius allegata contra magistrum Ioannem de Poliaco, 2 articulo, ubi dixit quod, stante constitutione *Omnis utriusque sexus*, Romanus pontifex potest facere quod parochiani non teneantur confiteri semel in anno sua peccata proprio sacerdoti; ita accipit summus pontifex 'proprium sacerdotem'. Quia nisi sic accipitur in decretali praedicta proprio sacerdoti, procul dubio, sicut dicit Ioannes de Poliaco, contradictionem includunt ista duo: 'quilibet catholicus tenetur semel in anno confiteri peccata sua proprio sacerdoti' et 'aliquis parochianus non tenetur omnia peccata semel in anno confiteri proprio sacerdoti'. Et ideo dicendum est quod hoc vitat contradictionem, quia ille terminus 'proprius' capitur aequivoce in decretali et in errore praedicto, quia in errore dicti Iohannis stat praecise pro praesbytero parochiali, in decretali vero stat pro omni praesbytero habente potestatem absolvendi ex ordinatione, vel commissione. Et huic concordat per omnia dictum domini Ostiensis in *Summa* quae dicitur *copiosa*, libro 5, titulo 36, *De poenitentiis et remissionibus*, capitulo *Patriarcha*, ubi breviter ponit in fine omnes istos proprios et immediatos sacerdotes, videlicet Papam, episcopum diocesanum et proprium sacerdotem et illos quibus indulgetur per licentiam specialem. Sic ergo videtur dicendum quod quicumque subditus praesbytero parochiali potest licite confiteri istis subscriptis, domino Papae, in quo est plenitudo iurisdictionis in omnes catholicos, eius poenitentiarium generali; item eius poenitentiariis generalibus; item episcopo diocesano; item cuilibet habenti commissionem a sede apostolica, vel a

diocesano, vel a praesbytero, quia quilibet istorum potest dare licentiam super subditos parochialis praesbyteri, videlicet Papa, episcopus, et curatus.

Ad rationes prin[394a]cipales. Ad primam patet per praedicta, cum rectus et verus intellectus istius decretalis *Omnis utriusque sexus* etc. est quia proprius sacerdos non distinguitur contra communem sacerdotem, sed contra alienum. Unde signanter constitutio dicit: „si quis alieno sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri sua peccata, licentiam prius postulet et obtineat”. Unde intentio constitutionis est arctare subditos unius parochie, ne ad sacerdotem alterius parochiae accedant, qui non habet iurisdictionem super eos per commissionem domini Papae, vel diocesani. Si tamen habeat, iam non est alienus, sed proprius tantum.

Ad secundum, cum dicitur quod illud quod cedit in praeiudicium alterius, non potest alicui convenire per privilegium. Dico quod maior est falsa. Bonum enim commune totius Ecclesiae praeferrī debet bono particulari. Unde, ubi bonum reipublicae non potest convenienter procurari sine praeiudicio facto alicui personae, sed cum praeiudicio suo, licet ei, qui rector est reipublicae, propter bonum commune praeiudicare illi personae, licet, proprie loquendo, non debeat sibi dici praeiudiciale, quod est ampliativum, vel consummativum boni communis, seu conservativum reipublicae, cuius ille est pars. Unde bene potest concedi maior illius rationis quantum ad propositum actum. Illud habetur expresse, 25 quaestione, 1, *Quod vero*, in *Glossa*, ubi habetur quod privilegium non potest concedi in alterius praeiudicium. Et conceditur quod praeiudicium fit curato, si alteri detur potestas et iurisdictio super subditos suos. Dicunt doctores quod sibi non fit praeiudicium, quia nunquam fit praeiudicium alicui nisi ei subtrahatur quod sibi est in favorem indultum. Sed potestas iurisdictionis non est curato indulta in favorem personae, sed in utilitatem plebis et honorem Dei. Et ideo, si superioribus praelatis videtur expedire ad salutem plebis et honorem Dei, possunt postmodum committere aliis a praelatis inferioribus iurisdictionem in subditos eorum et sine praeiudicio eorumdem, ut, si Papa faceret unum simplicem sacerdotem legatum in Anglia, in nullo praeiudicaret episcopis, nec inferioribus praelatis.

Et ad primum motivum, cum dicitur: 'ille sacerdos tenetur sibi ministrare eucharistiae sacramentum; ergo tenetur scire vitam suam et audire confessionem de peccatis suis omnibus', nego consequentiam, quia sufficit sacerdoti quod dicat se confessum illi qui potest eum absolvere, quia, dato quod sibi confitetur, aliam securitatem habere non posset de veritate dictorum suorum, nisi credendo dictis suis. Et ideo in simpliciter occultis debet credere sacerdos subdito suo dicenti se confessum alicui habenti potestatem a se, vel a superio[394b]ri suo. Secus est autem in manifestis etiam executionibus publicis, de quibus non oportet quod sacerdos stet in simplici verbo subditi sui, nisi per litteras confessoris vel testimonium aliquod ostendatur. Unde videtur de tali subdito quod vel sacerdos scivit eum irregularem aliquo impedimento quo minus accederet ad eucharistiam, impedimento dico pertinente ad forum iudiciale, vel aliquo impedimento pertinente ad forum poenitentiae. Primo modo non tenetur sacerdos stare dicto subditi, immo in Pasca impedire eucharistiam, nisi legitimam fidem faciat se esse absolutum. Secundo tenetur.

Ad secundam formam eiusdem principalis, de auctoritate *Proverbis*, 27: *diligenter agnosce vultum pecoris tui*, dico quod nulli imponitur impossibile, libro 6 *Extra*, *De regulis iuris*: „nullus potest ad impossibile obligari”. Si autem illud dictum intelligatur de cognitione conscientiae, foret

praelatus obligatus ad impossibile, et ideo primo et principaliter intelligitur de agnitione quae potest haberi per exteriorem conversationem; secundarie, de manifestatione conscientiae in occultis, in qua agnitione debet credere subdito suo, ex quo aliam cognitionem non potest in talibus habere. Et si ad eum venerit et dixerit se dignum perceptione eucharistiae, habet agnitionem quae sufficit curatis. Similiter, si haec auctoritas ligaret praelatum ad personaliter audiendum, non posset vices suas committere, quod tamen faciunt communiter rectores, ponendo suos sacerdotes qui non sunt praelati.

Ad tertiam formam, cum dicitur quod inconueniens est quod alicui deputentur plures iudices immediati, dico quod non est verum, sed expedit hoc fieri. Non tamen in casu modo debent, hoc est non tenentur simul exercere actum iudicii super eandem materiam, licet possint.

Ad tertium principale dicendum est quod illa auctoritas 11, quaestione 1, *Pervenit*, loquitur de iurisdictione in foro publico. Similiter, quando episcopus confert alicui potestatem audiendi confessiones, non aufertur inferiori praelato iurdictio sua, sed datur ei coadiutor ad exequendum iurisdictionem suam, quae principaliter est episcopi quam sua.

Si ponatur quod prohibeat subdito suo ne confiteatur alicui habenti potestatem audiendi ex privilegio, dicendum quod, cum par in parem non habeat imperium, prohibitio nihil valet, sed de hoc per suum superiorem vel conservatorem privilegiorum debet graviter castigari, sicut visum est de multis. Sed numquid debet privilegiatus absolvens iniungere confesso sibi quod saltem confiteatur in generali proprio sacerdote?

[395a] Albertus distinguit de proprio sacerdote, id est praesbytero parochiali, quia vel est pastor, sicut rector perpetuus vel vicarius, vel est tantum sacerdos conductus. Secundo modo non oportet. Primo modo credo quod sufficit quod absolvens iniungat poenitenti, quod certificet praelatum suum se esse confessum ab illo qui potestatem habuit Papae, vel episcopi. Quod si dicatur, tunc subditus deciperet curatum suum, si velit. Dico quomcumque per Ecclesiam ordinetur de confessionum audientia, tamen oportet necessario in foro confessionis secrete stare dictis confitentis.

Sed contra praedicta videtur esse quaedam quae ponit Ioannes Monachus in expositione super *Constitutionem* Bonifacii, quae sic incipit: „ad perpetuam rei memoriam super cathedram etc.”; in exponendo capitulo 4 *Constitutionis*, „statuimus etc”, quaerit nunquid per illud statutum Bonifacii derogetur concilio generali *Extra, De poenitentia et remissionis, Omnis utriusque sexus*; et respondet quod non est contradictio, sed compatiencia, et sic utrumque tenet. Infra, consequenter, post quaedam verba vacua, movet dubitationem an confessus fratri teneatur confiteri iterum proprio sacerdoti; et respondet intuitive quod sic. Hoc tamen non est ex necessitate sacramenti, sed ex obligatione tantum – modo loquitur in secunda persona: „ad confirmationem qui voluntarie ad fratrem accessisti”. Et vult dicere quod, licet talis parochianus confessus fuerit fratri, tamen non liberatur a dicta constitutione *Omnis utriusque sexus*, quia, relicto patre spirituali cui fuit adstrictus voluntarie, init ad illum cui non fuit adstrictus. Et ad hanc conclusionem, quod scilicet confessus fratri remitti debeat ad curatum et similiter iterato confiteri, arguit multipliciter.

Primo sic: si non, ergo potestas curati in auditione confessionis posset poenitus exauriri et ad nihilari, et privilegium non tenet, quod vergit in alterius enormem lesionem, *Extra, De decimis*, <capitulo> *Suggestum est*.

Secundo: si sic, esset in potestate subditi totaliter recedere a curato. Et hoc posito, quomodo curabit qui morbum non scit?

Tertio: quia, licet non esset necesse curato cognoscere vultum pecoris sui, quantum est ex parte confessi qui sine licentia confessus est fratri, interest tamen curati propter seipsum, cui dicitur *Lucae*, 10 capitulo: *curam illius habe*.

Quarto: si sic, subditus potest transire nunquam veniendo ad confessionem, dicendo se confessum fratri.

Quinto sic: qualiter dabit curatus ecclesiastica sacramenta subdito, quem non novit dispositum, maxime ubi subditi confessi sunt aliqua notoria crimina, nec potest frater confessa revelare?

Sexto arguit contra opinionem, et respondet sic: fratri et curato datur potestas insolidum. Ergo postquam alter explevit, non potest [395b] relinqui super eundem, nisi subditus velit. Respondet praedictus Ioannes Monachus quod argumentum procederet, si isti duo fuissent dati ab initio pariter, sed curatus datus est ab antiquo, sicut habens potestatem ab exordio foundationis Ecclesiae, distinctione 21, in Novo Testamento. Frater autem est de novo veniens. Et ideo sic ei potestas dari praesumitur, ut potestas curati non tollatur sed iuvetur. Unde ius commune, quod est pro praelato, est fortius iure privilegiato; nec mirum, quia primum est necessarium, secundum voluntarium, licet sit aequalis potestas audiendi confessiones et absolvendi, necessitate veniendi ad curatum remanente, quae non est hic expresse sublata.

Septimo adhuc arguit contra opinionem propriam, et solvit sic: potestas fratrum est a maiori habita, sive habeatur a Papa, sive habeatur ab episcopo; ergo est potentior potestate rectorum. Si ergo confessus rectori iterata confessione non eget, multo minus confessus fratri. Respondet sic: voluntarium et necessarium sonant contrarium. Et est in hoc argumento fallacia figurae dictionis, quia, si potestas excedit in quanto, non sequitur quod excedat in quali sive in qualibet iteratione. Consequenter quaedam solvit et arguit quae non sunt digna responsione. Tandem vero descendit ad istam conclusionem, quae est potestas a iure concessa praelatis, loquendo de potestate quae est per sacramentum poenitentiae de criminibus quae modo tractant Hugo et Ostiensis in *Summa*, Guilielmus Durandi in repertorio, et sanctus Thomas 4 *Sententiarum*, distinctione 19. Et hic dicit duas conclusiones. Prima est quod quilibet sacerdos potestate ordinis regulariter potest a quolibet peccato absolvere. Secunda, quod, licet omnis sacerdos habeat potestatem ordinis, non tamen habet potestatem iurisdictionis exercitii nisi in subditos. Unde, sicut in foro iudiciali non ligat quis nec absolvit nisi subditum, sic nec in foro poenitentiali. Et sicut sacerdos non habet exercitium seu potestatem in corpus Christi verum quando non habet materiam ad conficiendum, sic nec in hoc casu agere potest nisi in materiam sibi subditam. Haec sunt quaedam dicta quae placuit mihi extrahere de glossa dicti Ioannis Monachi. Quod autem ista dicta sint erronea et frivola, et a laico in theologica facultate incircumspecto scripta patet tam ex suo modo loquendi, quam ex aliis quae supra induxi in corpore quasi pro errore Ioannis de Poliacio.

Arguitur sic, 25, quaestione 1, capitulo 4, *Quae ad perpetuam*: „quae ad perpetuam generaliter ordinata sunt utilitatem, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum quae sunt ad bonum commune praefixa, sed manentibus termi[396a]nis quos constituerunt patres, nemo iniuste usurpat alienum etc. Sed huiusmodi est quod confessi etc.”.

Item, idem capitulum, *Quod vero*: „decreta sanctorum canonum neminem magis quam Apostolicum conservare oportet.”

Item, capitulo *Contra statuta*: „contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas.”

Solvuntur haec omnia, et arguendo dicuntur; solutio incipit; 25, quaestione 1, *His ita*, respondetur, unde dicit sic: „Sacrosancta Romana Ecclesia ius et auctoritatem canonibus impartit, sed non eis alligatur”. Et infra: „licet ergo contra generalia decreta spiritualia privilegia indulgere, et spirituali beneficio concedere quod generali prohibetur decreto”. Et infra: „quaecumque ergo de decimis, vel quibuslibet ecclesiasticis negotiis sacris canonibus diffiniuntur, intelligenda sunt necessario servari, nisi auctoritas Romanae Ecclesiae aliter fieri mandaverit vel permiserit”. Exemplum ad idem de facto, *Extra, De consanguinitate et affinitate, Non debet*, ubi dicit: „non debet repraehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, presertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit”. Unde ordinatur quod prohibitio copulae coniugalis non se extendat extra quartum gradum. Patet 35, quaestione 8, *Haec salubriter*, et in aliis. Item sententia Romanae sedis potest in melius commutari, 35, quaestione 9, *Sententiam*. Et sic est finis huius opinionis, nec plura de praesenti quaestione ad praesens. Nonnulla tamen consilia tangentur in sequenti, quae sit talis.